

Quidam quod deest ætati, virtutibus compensant, inquit Bernardus. Et ibi perfecta virtus est, Ambrosius. Non ætate, sed ingenio adipiscitur sapientia; Plautus. Exempla juvenilis prudentiæ annotavit, Johan. Jac. Draco de origine & jure Patritiorum lib. 2. cap. 1. pag. 198. & seqq. Et lib. 3. c. 4.

CAPUT XI.
DE EVANGELIO.

Non lex solùm à Ministris Ecclesiæ docenda est, urgenda & inculcanda in Ecclesia; Sed Evangelium quoque. Convenienti igitur ordine legis divinæ explicationi succedit doctrina Evangelij, si quidem quos malleus legis contrivit, hos suavissimo Evangelij balsamo sanat Spiritus S. per Ministerium verbi.

QVÆST. I.

An officium Evangelij sit nos erudire, ut piè vivamus?

I.

LEX circa opera; Evangelium circa gratiam directè versatur, quod discrimen Legis & Evangelij semper manere debet inviolatum, & sic in proprio suo usu lex nihil scit de gratia vel Christo, Evangelium nihil de bonis operibus.

2. Sed cum hæ partes verbi DEI ad hominis salutem à DEO ordinatæ sint per indirectum & quasi per Accidens fit, ut lex officio Evangelij perfungatur. Evangelium officio legis. Ita lex hominem imperfectionis suæ convincit, & ostendit salutem frustrà in lege quæri. Et hac occasione hominem quasi per indirectum remittit ad Christum, qui est legis impletio, & ob hanc causam Lex appellatur Pædagogus

Mmm

gogus